pisse te iactas,[Cur Deū per prævaricationem eiusdem legis inhonoras] faciendo furta & adulteria & sacrilegia?Nam secundum literam multi Iudæorum hoc feciſſe reperiuntur,furta videlicet & adulteria & sacrilegia.Figuratur autē per hūc, quem ita nunc increpat Apoſtolus, quilibet doctor eccleſiæ,qui bona prædicat & mala facit,deſtruens moribus,quod aſtruit vocibus . Cui rectè dicitur:[Qui aliū doces,teipſum non doces &c.] Deinde probat quòd Iudæi prævaricando legem inhonorauerint Deum.Verè Deum inhonoras tu & ſimiles tui.[Nam nomen Dei]id eſt, gloria & fama nominis Dei [Blaſphematur]id eſt, vitupe ratur[Inter gentes per vos]id eſt,per malam con uerſationem veſtram.Sicut enim bona vita fidelium,cauſa eſt vt deus glorificetur à vidētibus: ſic quando illi qui legem Dei acceperunt , male viuunt,illorum praua conuerſatio,cauſa eſt,vt Deꝰ blaſphemetur.[Sicut ſcriptum eſt.]Ideo non appoſuit vbi vel quibꝰ verbis hoc ſcriptum ſit, quia Iudæis loquebatur,qui legem & prophetas habebāt:& vbi hoc ſcriptum eſſet,ſatis nouerant,vide-
Iezec. 36. licet in Iezechiele , per quem Deus de illis qui in Chaldæa tenebantur captiui,cōqueſtus eſt,dicēs: Ingreſſi ſunt ad gentes,& polluerunt nomen ſanctum meum,cum diceretur de eis,populus domini iſte eſt , & de terra eius egreſſi ſunt. Sic tunc per illos blaſphemabatur nomē domini,quod ipſi malis operibus ſuis polluerant in oculis gentiū. Putabant enim gentes quòd ea quæ Iudæi faciebant,placerēt Deo ipſorum,& ideo vituperabant eum.Similiter & per eorū nequitiam, qui tēpore quo Paulꝰ hęc ſcribebat, diſperſi inter gētes erāt, blaſphemabatur Deus à gentibus.Sic & nunc per nonnullos religionis profeſſores , dum prauitatis exempla de ſe oſtendunt, blaſphematur plerūque Deus ab imperitis & ſecularibus.

*Circumciſio quidem prodeſt , ſi legem obſerues.Si autem prævaricator legis ſis,circumciſio tua præputium facta eſt.Si igitur præputiun iuſtitias legis cuſtodiat, nónne præputium illius in circumciſionem reputabitur,& iudicabit id quod ex natura eſt præputium , legem cōſummans, te qui per literam & circumciſionem legis prævaricator es?*Nō *enim qui in manifeſto Iudæus eſt,neq; quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio,ſed qui in abſcondito Iudæus, & circumciſio cordis in ſpiritu,non litera,cuius laus non ex hominibus,ſed ex Deo eſt.*

Oſtenderat legē nō valere Iudæis,& nūc oſtēdit nec circūciſionē illis prodeſſe.Poſtq enim probauerat eos nō poſſe gloriari de lege,qa trāſgreſſi ſunt eam,id eſt,moralia præcepta eius:Poſſent ipſi reſpondere,dicentes:Quamuis ipſa lex nō proficiat nobis,quia tranſgreſſi ſumus illam, ſicut tu dicis: tamen de circumciſione poſſumus gloriari, quia per eam præcellimus gentes incircūciſas. Et Apoſtolus:[Circumciſio quidem prodeſt,ſi legem obſerues]id eſt,cum obſeruantia moralium præceptorum in fide factorum.[Sed ſi ſis prævaricator legis] ſicut es , vt probauimus,id eſt, ſi quod circumciſio exigit,non impleas,tunc[Circumciſio tua]carnalis , de qua multum gloriaris [Facta eſt præputium]id eſt,plus non valet,tibi quàm ſi circumciſus non eſſes.Prodeſt , inquit , ſuo tempore circumciſio , quia Iudæum facit viuere & non exterminari . Prodeſt circumciſio , quia facit in lege eſſe. Prodeſt , quia obediendo Deo facit ſignum futuræ veritatis,dum populus rudis ſub timore cuſtoditur . Carnis enim circumciſio , veram cordis circumciſionem præſignat.Et ideo ante ſaluatoris aduentum prodeſt carnalis circumciſio,[Si legem obſerues]id eſt,ſi & moribus circumcidaris.Non enim alia intelligitur eſſe vera circumciſio , quàm animæ purgatio & vitiorum abiectio . Et idcirco prodeſt carnis circumciſio,ſi & mens per obſeruā tiam moralium præceptorum legis circumciſa ſit. Signum prodeſt, ſi res adſit. Cæterùm ſignum ſine re ſuperfluum erit . Hoc eſt enim quod ſubditur, quia[Si prævaricator legis ſis,circūciſio tua pręputiū facta eſt]quoniam cum ſis carne circūciſus, opere es incircunciſus.Similiter dici poteſt Chriſtiano:Baptiſmus prodeſt,ſi euāgelium obſerues. Si autem prævaricator legis ſis, id eſt , euangelij, baptiſmus tuus nihil tibi valebit.Sic & monacho: Cuculla prodeſt,ſi regulam obſerues.Si autē prēuaricator regulæ ſis,cuculla tua *inutilis facta* eſt. Deinde infertur à contrariis ſic:Quandoquidem ſi prævaricator legis fueris , circumciſio tibi non plus prodeſt,quàm præputium:igitur ſi præputiū obſeruet legem , tantundem prodeſt ad ſalutem, quantum circumciſio cum obſeruatione legis . Et hoc eſt[Si præputium]id eſt, gentilis qui in præputio carnis ad fidē Chriſti venit , [Cuſtodiat iuſtitias legis]id eſt,præcepta moralia, per quæ iuſtificatur homo,ſicut eſt,Non mœchaberis , Non Exodi.20.
concupiſces,Honora patrem & matrem , & Diliges proximum tuum ſicut teipſum,[Nónne præputium illius reputabitur in circumciſionem?] id eſt,nónne ipſe habens præputium , æquiparabitur Iudæo habenti circumciſionem cum legis obſeruatione?id eſt,non oberit ei præputium habere , ſi legē ſpiritaliter obſeruet,ſed in filiis Abraæ reputabitur:& quod circumciſio facit Iudæo legē obſeruanti,idem faciet ei præputium , poſtquam cum fide præcepta legis obſeruabit.Et non ſolùm æqualis erit Iudæo, ſed etiam Iudæum iudicabit, Iudicabit non poteſtate iudicij , ſed comparatione facti melioris.[Præputium]id eſt,præputiatus. [Cōſummans]id eſt,cōplens[legem]te ô Iudæe,